



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Diploma Ottonis II. super eâdem Abbatiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

## Diploma Ottonis II. super eadem Abbatiâ.

**I**N nomine S. & indiuidue Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Pareat omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum industrie, qualiter vir spectabilis Pilgrinnus sanctæ Patauensis Ecclesiæ Præful venerandus, partibus nostris fauens pro viribus, fide inconcussa, in perturbatione atque vacillatione Baioariorum ab aduersariorum perniciofa persecutione, tam incendiis quam in interfectione familiæ à deuastatione non paruum Episcopij sui perpeffus est iacturam. Cuius fidem atque constantiam æquum duximus remunerare, & Ecclesiasticæ desolationi regiâ munificentia solamen aliquod impendere. Vnde etiam non solum eius moti querelis, sed & alubescentes precibus dilectissimi fratruelis nostri, Ottonis Ducis videlicet Baioariorum, atque Willigisi Archiepiscopi, quandam nostri juris Abbatiam infra territorium sitam Patauensis ciuitatis, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructa & dedicata, cum Walahunesdorf, ceterisque omnibus appendiciis, ad jam dictam Abbatiam iuste & legaliter pertinentibus, item, cum Ecclesiis, & ædificiis, omnibusque decimationibus, cum terris & aquis, cultis & incoltis, villulis, vineis, campis, pascuis, pratis, syluis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, mancipiis vtriusque sexus, quæstis & inquirendis, ex toto & integro, de iure & donatione nostra eidem Patauicn. Ecclesiæ S. Stephani protomartyris Christi, per hoc præfens autoritatis nostræ præceptum pleniter in Christi nomine confirmatum donamus, tradimus, atque transfundimus, eo videlicet tenore, ut ipsa securiter, absque alicuius personæ contradictione atque molestia, more hæreditario perpetualiter in proprium teneat, atque possideat. Et ut hæc prædictæ fidei & firmitatis remuneratio, auctoritatisque nostræ donatio veriore firmioreque à cunctis fidelibus nostris perpetualiter habeat vigorem, iussimus hanc chartam conscribi, & sigillo nostro sigillatam manu propria subtrus firmauimus.

*Vid. Tom.  
2. Metr.  
p. 292.*

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. Engelpertus Cancellarius ad vicem Willigisi archicapellani notauit. Datum XI. Cal. Augusti, anno dominicæ incarnationis DCCCC. LXXVI. Indict. IV. Anno vero regni Domini Ottonis Imperatoris Augusti XV. Imperij autem IX. Actum Ratisponæ, in Christi nomine feliciter, Amen.

Catalogus Abbatissarum Monasterij S. Crucis in Nidernburg Patauij; quarum memoria è monumentis antiquis, & ruderibus Cœnobij istius iteratis vicibus igne combusti, erui posuit.

THECLA,

HEILICA, S. HENRICI Imp. restauratoris & quodammodo alterius fundatoris huius Monasterij ex fratre neptis: (sic habet Catalogus à moderna Monasterij huius Abbatissa Dn. Dorothea Renata mihi transmissus: sed malim legere amita, licet in Cod. Dn. Hundij impresso, errore typographi irreperit verb. amica) quæ inter homines esse desit an. Dn. 1020.

*Vid. R. P.  
Rader. SS.  
Bannar.  
Tom. II.  
Auentin.  
Annal. Bo-  
ior. V pag.  
419. v. 20.  
Basil. edit.  
an. 1045.*

Numerant aliqui inter Abbatissas Monasterij Nidernburg S. GISA LAM Henrici Hezilonis Boiorum Principis filiam, S. Stephani Hungar. Regis conjugem; S. Imperatoris Henrici sororem; filij Emerami Sancti matrem: & hanc an. 1095. defunctum aiunt, neutrum ego sine teste asserere velim; Auentinum fecutus, cuius de sancta nostra hæc sunt verba: Cæsar (Henricus III.) ex Vngaria reuersus secum Gifalam reginam uxorem

CVNZA,

VTA.

MERGARDIS.

ALHARDIS.

GERDRVDIS.